

D F N

1604



00
1A
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XII.
DE CAPITE XIV.
GENESEOS, AD PRIVATAM
συζητησιμ̄ proposita.

à
SALOMONE GESNERO S.S
THEOLOGICÆ DOCTORE ET IN ACADEMIA
Witeberg: Professore, die 5. Julij
Anno Christi 1598.

Respondente
M. FRIDERICO BALDVINO
Dresdensi,



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno clō lo xcviii.



REVERENDO ET
EXCELLENTISS^o THEOLOGO DN.
D. POLYCARPO LYSERO AVLAESAXO-
nicæ Dresdæ Ecclesiastæ primario: &

Reverendo Clarissimoq; viro Dn.
M. CVNRADO BLATT DRES-
densi Dn. POLYCARPI
παρὰ σὸν τῆς fidelissimo: itemq;

GENEROSO, MAGNIFICO ET
verè Nobili viro Dn. OTTONIA TETTEN^o
BORN Illustris, Saxon. Ducum in aulâ
Dresdensi Consiliario ampliss^o.

*Dominis Mecanatibus & fautoribus meis sin-
gulari studio, pietate & observantiâ
colendis.*

Hæc themata Theologica
offero dicoq;

M. Frid. Balduinus Dresdensis,

WITBERG

Typis Joh. Georgii Müllerii

Anno cl. 1741

CAPVT XIV. GENES:

THESIS. I.



Vd res gestæ infidelium historiae sacrae inseruntur, id non tam ipsorum, quam ecclesiae causa fit. Quo etiam sensu bellum regis Persici adversus Sodomitas capite decimoquarto Gen: commemoratur, vt Loti & Abrahami ecclesiaeq; illorum domesticae conditio illustretur.

Questio prima de bello regis Babylonici & Persici adversus regem Sodoma.

II.

Principio tempus belli indicatur, quod gestum sit in diebus Amraphel regis Sinear. Incidere istud in annum octuagesimum secundum ætatis Abrahamæ trecentessimum verò & septuagesimum quartum à diluvis, chronologi ἐν δόξῃ colligunt. Chytr. Funcc. Quanta proinde hominum crudelitas, qui in mutuas cædes ruunt, cum Sem, Iapheth & fortasse etiam Cham, à quibus se ortos sciebant, adhuc viuerent.

III.

Epiphanius libr. 2. tom. 1. hæc: 55. quæ est Melchisedecianorum, statuit, gestum hoc bellum esse anno Abrahami LXXXVIII. vel nonagesimo; Quod si ita est, ἡ ἐρολογία in narratione huius expeditionis & natalium Ismaël agnoscamus oportet.

*Tempus
belli Sodo-
mitici.*

IV.

Authores prælij commemorantur quatuor. Primus Amraphel, Rex Sinear, quæ Babyloniam est regio, ut cap. 11. 2. dictum est. Idcirco rectè Onkelos regem Babylonium appellat: Ionathan filius Vzielis & cæteri hebræi, iuxta Lyram, existimant Nimrodum esse, de quo cap. 10. sic nuncupatum, quod Abrahami doctrinam & religionem opprimere conatus sit. Amraphel enim ab Amar & naphel δεινῶς ἀντιλέγοντα significat. Alijs placet esse Niniam Nini & Semiramidis filium, Nimrodi pronepotem, à quo Iustinus historiam Trogi Pompeij orditur. Hoc inde colligimus,

*2.
Belli au-
thores 4
reges.*

A 2

Baby-



Babylonem primam esse tyrannorum, post diluuium, matrem, & hinc iniustas expilationes humaniq; sanguinis profusionem originem traxisse. Hoc enim primum est bellum.

V.

Alter est Arioch, Rex Elasar, cuius nomen Jonathan à procera corporis statura deducit. Elasar autem regionem Ponti uertit Hieronymus, cui distantia loci videtur aduersari.

VI.

Tertio nomen est Cedarlaghomor, inde factum, ut Jonathan existimat, quod in turmis hostium profligandis felix fuerit. Fuit Rex Elamitarum, id est, Persarum, ut cap. 10. indicatum. Fax totius belli: dominandi libidine impulsus.

VII.

Quartus deniq; Thideal a sublimi sapientia, quam sibi uen dicauit, appellatus censetur: Rex est gentium, quas Lutherus rectè existimat κατ' ἐξοχήν, more scripturæ, maris mediterranei accolas esse. Lyræ opinio est, varias nationes eius imperio paru-isse. Alij opinatur eum è fugitiuis diuersarum nationum collectum duxisse exercitum.

VIII.

Quatuor isti reges representant ingenium & artes hostium ecclesiæ. Diabolus enim alias Amrapheles, hæreticos & Sophistas aliquando Ariochos, centauros, viribus suis confisos, nonnunquam Cedarlaghomores, id est, coniuratos falsos fraterculos, haud raro Thideales, carnali sapientia turgidos in populum Dei immittit.

IX.

Quibus isti quatuor bellum inferunt, quinque numerantur. Primus Beragh. Rex Sodomitanus, a malitia, ut placet Ionathæ nuncupatus. Alter est Birschagh, princeps Gomorhæus, cui impietas nomen fecit. Tertius est Sineab, gubernator Adamæ, quem parentum odium & ἀσέβεια nobilitauit. Quarto nomen est Schemeber à robore depromptum, qui Seboimæis imperauit. Quintus deniq; est ἀνώμωμος, rex nimirum Belæ vel oppidi Zohar, quod minimum inter jam nominatas vrbes fuit, Gen: 19.

X.

Locus, ubi congregiuntur, est vallis Siddim, id est, agrorum, a soli fertilitate & agrorum præstantia antiquitus nuncupata; iam verò tractus ille maris salis nomen habet, Asphaltin lacum

3.
Bello petū-
tur 5. prin-
cipes.

4.
Lacus
asphaltitis,

cum græci a bitumine appellant, de cuius miro ingenio Iosephus
lib. 5. belli Iudaici cap. 5. Strabo lib. 16. cosmograph.

XI.

Causa belli respectu hominum fuit, quod Sodomæ ab Assyrijs
quondam victi, cum per annos duodecim tributa illis soluisent
imperataq; fecissent, decimotertio defecerunt, quo factum est ut
nouâ, in eos Assyrij expeditione susciperent, ductu & auspicijs Ce-
darloghomori, qui tributum antea imperaverat. Sed quoad Deum
varia ipsorum scelera Gen: 13. 13. XII.

Bellum antegreditur vicinarum regionum, quæ Sodomæ
confederatæ erant; depopulatio. Primum enim exercitus Ce-
darlogomorhi cedit Rephaim, idest, generosos & σωτηρίας, à repu-
blicæ medicatione sic appellatos, habitantes in civitate Gaaladi-
ticæ regionis Asteroth Karnaim. Suo quoq; tempore in Batanæa
vicum eius nominis superfuisse, ubi Iobum habitasse, credide-
runt perhibet Hieronymus in locis hebraicis, Antegres-
sa.

XIII.

Præterea depopulantur Zusim id est, robustos in Chom, &
Emim hoc est terribiles in Sauah kiriathicirim. Sunt hæc nomina
gigantum & barbararum gentium, quæ terram Basan ultra Ior-
danem tenuerunt. Insuper etiam Horæum in montanis Seir, (Gen:
36. 8.) usq; ad planiciem Pharan quæ est iuxta desertum (Gen: 21.
21. Num. 13. 1.)

XIV.

Indeq; reversi venerunt ad fontem Misphat, qui à iudicio
quod Deus super Mose & Aarone exercuit, nomen accepit, sicut
idem locus ideo, quod Dei nomen, producta è cautibus aqua,
sanctificatum illic fuit, Kadesch, quod sanctum denotat, nomina-
tus est. Num: 20. 13. 21. Devastarunt autem omnem regionem Ama-
leitarum, & Amorrhæos habitantes in Hazezonthamar, quem
locum Chaldæus rectè vocat Engaddi: sic enim 2. Par: 20. 2. ap-
pellatur. Attingit occidentalem maris salis ripam situ amænissi-
mo. Ios. 15. 1. Sam: 24. 1. 2. Par: 20. 2. Cant. 1. 24. Ezech:
47. 10.

XV.

Vocantur autem hæc loca nominibus, quæ postea adepta
sunt, κατὰ πρόληψιν, ut sciamus, Mosen in deserto demum hæc scri-
psisse.

XVI.

Eventus belli clade Sodomitarum terminatur. Cedarlagho-
mor enim cum socijs, Sodomæ & Gomorrhæ opibus direptis li.
magna præda onustus abiit. Exitus bel-
li.

XVII.

Deus enim haud raro impiorum ministerio alios sceleratos coër-
cet.

et. Ac cum Sodomitæ ab ijs, quibus fidē dederant, perfidē defecerint, non im merito puniuntur: præsertim cum alijs quoq; flagitijs Dei Vindictam in se concitarint. Deus enim fidem licet impijs datam vult integram custodiri, ne divinum nomen abusu vilescat, ut exempla docent 2 Sam. 21. 2. 2 Reg. 3. 4. & 17. 4 & 24. 1. Et iugum ob peccata impositum rebellionē non est excutiendum.

XV III.

Lothus autem eidem calamitati implicatur, & à barbaris captivus ducitur, adeo perniciofa est impiorum conversatio. Aut enim exemplo aut clade nocet. Syrach. 13. 2. Cor. 6. 14. Num domi confederit, an arma cum cæteris induere coactus fuerit incertum, prius ἐνδοξότερον.

XIX.

Hinc colligere promptum est, vehementer eos hallucinari, qui è fortunæ flatu de pietate iudicium faciunt. Eccle. 8. 14.

XX.

Veruntamen Deus, qui adiutor est in oportunitatibus psal. 9. 10. suosq; mirabiliter novit è medijs periculis liberare Iob. 5. 19. non absq; miraculo captivum quendam hostibus subductū Abrahamo mittit nuncium, qui de misera Lothi conditione ipsum edoceat. Pium fuisse deq; Lothi schola & ecclesia veri simile est, licet Calvinio secus videatur.

XXI.

Rabini & Jonathan Benvziel nugantur nuncium istum fuisse Ogum regem Basanæum. Quasi verò hic unus vel evadere, cæteris gigantibus cæsis, vel etiam ad Mosis usq; tempora annis quadringentis post superstes esse potuerit Deur. 3. Multò verò magis ridiculum, quod Jonathan fabulatur, Ogum istum arcæ Noæh inequitasse, pileo seu galea ab imbribus defensum, a Noah cibo sustentatum fuisse.

XXII.

Notandum est, quod Abraham hic vocatur Hebræus ab Hebero filio Schalachi pronepote Semi Gen. 10. 21 22. Ex quo fabula Rabinorum validissimè retunditur, qui Ebreos ab Abrahamo nuncupari contendunt. Nam si Abraham Ebreis nomen dedisset, qua ratione ipse diceretur Ebræus? Perinde hoc esset ac si Abrahamus Abrahamæus, Anchises Anchisiades, Aeneas Aeneades vocitaretur: perinde ac si idem sibi & pater & filius foret. De scriptio- nis differentia nihil dico, quod Abram habet Aleph, Eber autem Ain. Sunt tamen, qui Abram ab Euphrate transmissio denominatum volunt.

Questio

Fabula

Catastro-
phe belli.

Quaestio II. de Abrahami felici praelio
& Victoria.

XXIII.

Vbi tum temporis Abram habitaverit & qua conditione res ipsius fuerint, ex eo patet, quod Moses ait: habitabat in cōvallibus Mamre Amorrhæj, qui erat frater Escoli, & frater Aneri, qui scædus pepigerant cum Abrahamo. Ab Amorrhæo isto Mambre civitas Hebron sæpe nominatur, utpote Gen: 23. 17. 19 & 25. 9. & 49. 30. 50. 13.

Abrahæ
conditio

Abrahæ
confœdera

tio cum A-
morrhæis.

XXIV.

Duæ sunt sententiæ de Abrami scædere. Quidam enim existimant Mambren, Escolum & Anerum, licet Chananæj essent, religionem patriarchæ amplexos fuisse. Quod consentaneum videtur. Nisi enim religio & fides in certam victoriæ spem eos erexisset, credibile non est, illos Abrami auspicijs tam exigua manu tantæ potentæ hostes aggredi ausos, a quibus gigantes & Sodomæos modo non ad interneccionem cæcos sciebant.

XXV.

Alijs verò diversum videtur, illos nimirum à vero Dei cultu alienos fuisse. Atq; istis quidem necesse est respondere, quomodo Abrahami confœderatio cum Chananæis & Amorrhæis non in divinam legem impingat, quæ Deut. 7. 2. 3. diserte prohibet, scœdera cum Amorrhæis & Chananæis jungi.

XXVI.

Dicunt equidem confœderationem hanc Abrahami cum infidelibus citra religionis jacturam fieri potuisse, Sed absq; scandalo vix institui potuit ab eo, qui idcirco à Chaldæis separatus fuerat, ne profellio ex impiorum consortio malè audiret.

XXVII.

Legem quoq; non latam fuisse aiunt, quod verum est. Deus tamen nihilo minus ante datam legem etiam voluit discrimen inter suum populum, ex quo Israëlitæ sunt & Christus, interq; impios ecclesiæ hostes conspici.

XXVIII.

Quod autem ad novi testamenti tempora attinet, nos sanè illa lege non obstringimur, cum exhibitione Messisæ, cujus causâ ea segregatio introducta fuerat, τὸ μεσότοιχον inter Iudæos & gentes sit sublatum & maceria diruta Eph. 2. Col: 3. 11.

Caven.



XXIX.

Cavendum tamen omni industria, ne politicae confederationes & commercia cum alienis a vera & Orthodoxa religione, in fraudem doctrinae suscipiantur, neque in illis animi fiduciam defigamus, 2. Cor: 6. Jer: 17. Es: 8. 30. 31.

*Abraham
recte facit
bellum ge-
rens.*

XXX.

Abraham igitur, licet patriarcha & doctor sit ecclesiae, nihilominus officij politici & oeconomici, quod idem gerebat in tam ampla familia, ratione, expeditionem suscipit, ut Lothum è vinculis reducat.

XXXI.

Et bellum hoc iustum fuisse non modo hinc constat, quod Deus felici successu illud approbavit, sed etiam inde, quod Abram non arripit arma πολεμικὰ, ad vim inferendam, sed ἀμυν-
τήρια & φυλακτήρια ad propulsandam iniuriam comparata, & quod insuper Melchisedech sacerdos Dei altissimi sua gratulatione idem collaudat, & quod deniq; Deus ipse Ies. 41. 2. affirmat se tradidisse in manus eius gentes, & robur gladio eius indidisse.

XXXII.

Imò verò si consideres, quàm pauido fuerit Abram animo apud Aegyptios, rebus pacatis, non poteris aliter rem aestimare, quàm illum peculiari Dei mandato ad hoc bellum excitatum fuisse. Alioquin enim temeraria esset audacia reges victores invadere. Iam autem Dei verbū & promissio tantam in eo fidem heroicamq; fortitudinem accendit. Male proinde Muncerus hoc exemplo abusus est.

XXXIII.

Atq; idcirco non modo licet Christiano magistratui bella gerere pro defensione patriae, quod Anabaptistae inficiantur, sed amicitiae quoq; & coniunctionis necessitudo flagitat, ut amicos, quantum possumus, tueamur & defendamus, Syr: 6. 11. 12. 13. 14. 15. &c. 22. 28. 29.

XXXIV.

Ac serui Abrahæ trecenti octodecim exemplo praecunt subditis, & serui S. ut nō dubitent pro suo magistratu suisq; heris, re ita exigente, quandoq; etiam cum vitae periculo dimicare. 1. Ioh. 3. 16.

XXXV.

*Abrahami
mirabilis
victoria.*

Assumptis proinde sociorum, Amorriæorum, copijs & vernaculis suis Abram hostem assecutus est circa Danum, quod alteri fontium Iordanis est nomen in Libano versus Phœniciam, noctisq; beneficio usus, exercitu in turmas diviso, partim securos
partim

partim tentulentos oppressit, & fugientes acriter à sepeo vixit,
usq; ad Hoba, qui locus septentrionalem Damascenorum pla-
gam spectat.

XXXVI.

Non igitur pietati contraria sunt ducum militumq; stra-
tagemata & quicquid prudentiæ militaris est. Quandoquidem
non *ἀμείωως* sed per legitima media Deus plerumq; opitulatur.
Syr. 3. Prov. 21.

XXXVII.

Victoriam quoq; non ab exercitus amplitudine, sed à Dei
nutu pendere mirabili Abrahami fortuna docemur: Levit. 26
pl. 20. & 33. proverb. 21. 1. Mach. 3.

XXXVIII.

Hic verò fructus divinæ promissionis, qua Abrahamo di-
ctum fuerat, in te benedicentur omnes gentes terræ, non modo
ad Lothi familiam sed etiam ad impios Sodomitas, quantumvis
indignos, sese diffundit, dum unius causa toti regioni Deus bene-
facit. Gen. 18. & 19.

XXXIX.

Id quoq; fidei est, quòd Abram in victoria non insolentes
se gerit, & cum posset nullo negotio Chanaanæam terram incolis
orbata, opibus spoliata occupare, memor tamen est suæ vo-
cationis, qua ad peregrinandum non ad habitandum ascitus fue-
rat. Act. 7. Gen. 12.

XL.

Captivorum proinde liberatione prædæq; recuperatione
contentus arma ponit, ut intra metas divini mandati subsistendū
esse doceret, 1. Sam. 15. 22.

XLI.

Simulq; ostendit nondum appulisse tempus occupandi ter-
ram Chanaan. Gen. 15. 13.

XLII.

Mulierum imprimis lamentabilis est conditio, quòd mili-
tum libidini sunt expositæ. Sed ad illum quoq; sexum Dei bene-
ficium, per Abrahamum pertingit, ut non minus, quam virilem,
Deo curæ esse constaret. Quæ etiam causa est, quòd Moses mu-
lierum disertè meminit. Gal. 3. 28.

XLIII.

Reducem Abrahamum gratulationibus excipiunt rex Sodo-
maus,

B

maus,

Triumphus mæus, & Melchisedecus. Dei enim beneficia grato animo agnoscenda & ad posteritatem quoq; literarum trophæorumq; monumentis transmittenda sunt Exod. 17. Et de Sodomitarum rege dicit Chrysoft: hom. 35. quòd jam didicerit, nihil prodesse regni dignitatè illi, qui superno auxilio destituitur, & nihil esse potentius eo, qui manu Dei adjuvatur.

XLIV.

Rex Sodomitanus superstes.

Cum rex Sodomitanus superstes manserit, certum inde est, ea, quæ supra de clade quinq; regum sunt dicta, non de *πανολε-
θρα* & interuenectione omnium, sed de cæde maximæ partis *κατὰ
συνεδοχὴν* accipi debere: nisi alium illi surrogatum intelligas.

XLV.

Fabula.

Commentum Rabinorum est, quod rex ille in prælio ceciderit in puteum bituminis armatus, & miraculosè inde saluus exiit, ut Sodomitæ crederent Abrahamum similiter divina opo ex igne Chaldæorum illæsum euasisse.

XLVI.

Servatus certè fuit diuinitus, ut tempus haberet pœnitentiæ z. Petr. 3. nec videntur contemnenda conversionis & emendationis initia. quod regio comitatu stipatus Abrahamum hospitem, quem antehac ne videre quidem dignatus fuerat, nunc excipit. Fucata verò fuisse omnia ex eo constat, quòd Sodomitæ post tantam cladem tamq; insperatam Dei erga se beneficentiam multò etiam deteriores sunt facti, ut annis vix viginti, vel, ut, Epiphanius numerat, decem post funditus hæc monstra hominum deleri oportuerit Gen. 19.

XLVII.

Adeo verum est, quòd Salomon dicit Prov. 27. Si contuderis stultum in pila, quali ptisana, non auferetur ab eo stultitia ejus. Cujus rei Pharaö & rex Sodomitanus exempla sunt, quorum malitia pœnis non emollitur, sed induratur.

XLVIII.

Vallis regia.

Celebrata verò est solennis hæc & publica gratulatio in valle Save, id est, plana, quæ vel ab hoc regio triumpho, vel, ut Thargumici paraphrastæ censent, ab arce regia ibidem sita vel

vel à stadio regijs equis designato, in quo decurrere sint soliti, vel à Melchisedeci regis Solymæi accessu ut Onkelo placet, vel etiam ab amœnitate vallis regia nuncupatur. Hieronymo si credimus, ipsius ætate rudera palatij Melchisedeci superfuerunt.

XLIX.

Nicephorus lib. 8. cap. 30. perhibet, Abrahamū in monte Thabor, ubi Christus coram discipulis transfiguratus est Matth: 17. Luc. 9. Marc: 9. à Melchisedeco benedictum fuisse, & Helenam Constantini magni matrem ad utriusq; historiæ memoriam templum isthic condidisse.

Quæstio III. de Melchisedeco.

L.

Quid cum principe Sodomitarum actum sit, postea indicabitur, jam Melchisedecum consideremus. Ac principio quidem nomen ipsum regem justum denotat, vel, ut Paulus reddit, *σιλία δικαιοσύνης* Ebr: 7. 2.

De persona Melchisedeci opinio prima.

LI.

Secundò quis fuerit, incerta est disputatio. Thargum Hierosolymitanum & Jonathanum censent, fuisse Semum filium Noæ. Huic enim pater sacerdotale munus demandaverat, sicut lapeto politiam, Chamo œconomiam, ut ipsis placet. Vnde etiam testamentum tribus illis in hanc sententiam condidisse nonnulli perhibent. Tu supplex ora (Semo id dictum) tu protege (lapeto) tuq; labora (Chamo) ut Naucerus annotavit. Hieronymus in quæst: hebraic: in Gen: scribit, Iudæos tradere, sacerdotium in familia Semi seu Melchisedeci penes primogenitum mansisse usq; ad Aaronis tempora.

Melchisedec an sit Sem.

LII.

Epiphanius hanc opinionem Samaritanis attribuit, & è chronologia refutare conatur. Sed decipitur falsa græci codicis numeratione annorum, de quo sphalmate cap. 11. Gen. differuimus. Certum est Semum non eo saltem tempore, sed etiam post obitum Abrahæ fuisse superstitem. Vixit enim annos sexcentos Gen: 11. & post diluvium quingentos, Abrahæ verò

Semfuit *εὐχρηστος* fuit annis 175. Hæc gesta sunt ætatis Abrahæ anno, ut
εὐχρηστος supra commemoratum est, vel 82. vel. 88. ut ipsi Epiphanio vi-
vos Abra- detur.
ba.

LIII.

Alij eo argumento istam opinionem redarguunt, quod Melchisedek Ebr. 7. dicitur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, & ἀγενεαλόγητος, cum de Semi parentibus nobis optimè constet. Sed huic quoque rationi occurri potest, quod non ideo ἀγενεαλόγητος nominetur, quasi omni genealogia caruerit, sed quod hac in historia nulla parentum & generis mentio fiat.

LIV.

Sicut etiam de regio & sacerdotali ejus officio dubium non est, quin divinitus fuerit vocatus, ut esset caput Ecclesiæ, quod Abrahami testimonio & epistolæ Ebreorum calculo constat, quæ patriarchæ, qui benedictionem adeptus erat, hunc ipsum præponit, licet vocatio ejus non exprimat.

LV.

Parentes
Melchise-
decii.

In apocryphis quibusdam reperiri tradit Epiphanius, Eracclam fuisse ipsius patrem, matrem verò Astaroth, quæ etiam Asteria dicitur. Sed hoc nihili est.

LVI.

Tutius est in medio relinquere, quod ἀνομιώτως demonstrari nequit, cum absque ullius articuli fidei detrimento magni viri asseruerint, alij negaverint, Melchisedecum fuisse Semum. Piè simul & eruditè Copres Abbas in Scythia, cum discipulos suos de hac ipsa re admodum contendere animadvertisset, oratione ad se ipsum per apostrophen conversa inanem disputationem hoc pacto abruptisse fertur: Væ tibi inquit, Copre, quod divinitus tibi mandata negligentius agis, quæ autem à te ille non requirit, improba diligentia perscrutari præsumis.

LVII.

De perso-
na Mela-
chisedeci
alia tres
opiniones
quod illi
aliqui spi-
ritu san-
ctum, ali-
qui virtu-
tem Dei,
aliqui an-
gelicæ opi-
nantur.

Augustinus in quæstionibus ex utroque testamento, quæst. 109. prolixè disputat, Melchisedecum non hominem, sed tertiam S. Trinitatis personam humano habitu ad tempus assumpto fuisse. In quæstionibus Gen: quæst. 72. refert, nonnullos illum pro angelo habuisse. Sed cum fuerit rex in Salem & sacerdos altissimi, concidunt hæc opinionēs, quæ Melchisedecianos in errorem induxerunt, ut Melchisedeco templa extruerent, & vota facerent, tanquam Virtuti altissimi. Epiphani: hæc. 55. August. ad Quodvultdeum 34.

Et

LVIII.

Et nervosè hunc errorem Cyrillus lib. 5. in Gen. refutat, quod ex revelatione religioso cuidam viro facta illum habuisse Abbas Daniel retulit, ut est in vit: Patr. fol. 204.

LIX.

Moses Melchisedecum à duplici munere describit, quod ejus in historia tertium locum sibi vendicat. Primò fuit rex, inquit, Salem, Salem autem ea urbs est, quæ postea Hierusalem est nuncupata, quemadmodum etiam Onkelus reddit, Rex Hierosolymæ. Istud Psalmi 76. testimonio constat: Notus in Iuda Deus, in Israele magnum est nomen ejus & in Salem est tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Sion. Fuit autem Davidis tempore tabernaculum in Hierusalem.

Melchisedec rex.

LX.

Rarum & mirum est, quòd in tanta religionum confusione rex reperitur orthodoxus veri cultus patronus. Ita Deus semper etiam inter principes sanctum aliquod semen custodit 1. Reg. 19. Rom. 11.

LXI.

Nomen urbis antiquitus fuit Iebus Ios. 18. 28. Jud. 19. 10. 1. Par. 11. 4. Hinc modica inflexione, literæ Beth, in Resch pro Iebuschalem Ἰερουσαλὴμ Ierusalem dictam existimant. Sed alij quasi speculam pacis, seu ut ipsi loquuntur visionem pacis interpretari malunt, etymologia non à Iebus, sed à Raah & Iireh, quod est videre, petita.

Salem.

Questio IV. de pane & vino Melchisedeci.

LXII.

Cùm igitur Melchisedech esset rex, regiam liberalitatem erga Abrahamum, ejusq; exercitum declaravit prolato è penu suo pane & vino, ad reficiendos victores, qui ex itinere defatigati erant. Panem enim proferre & proponere ac frangere, more scripturæ convivio excipere denotat Gen. 18. El. 58. Luc. 14.

LXIII.

Patres equidem magno consensu panem istum & vinum fuisse typum eucharistiæ à Christo institutæ perhibent, ut videre est apud Clementem lib. 4. Strom. qui illa typum eucharistiæ nominat. Cyprianum lib. 2. ep. 3. Eusebium lib. 5. demonstrat, cap. 3.

Panis & vinum typus eucharistiæ
Ambrosi: ristiæ



Ambros: lib. 5. de Sac: c. 1. Epiphanium hæresi aliquoties dicta
Augustinum epist. 95. & alibi, Theodoretum, Arnobium, Hu-
gonem, Cassiodorum & alios in psalmum 109.

LXIV.

*Panis &
vinum
Melchise-
decii exer-
tunt Mis-
sam.*

Verum tantum abest, ut hoc patrocinerur Missæ pontifici-
orū, sicut Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6. & alij contendunt,
ut eidem è diametro potius adverteretur. Quandoquidem Melchi-
sedecus non panem solummodo, sed etiam vinum profert, & u-
trumq; tam militibus, quàm Abrahamo exhibet. Quid hoc com-
mune habet cum Missa, in qua nec panis, nec vinum, sed eorun-
dem solummodo species absq; substantia sacrificantur, & sacrifi-
cantur pro vivis & pro mortuis, & ubi deniq; vinum subducitur
laicis, panis includitur, inq; pompa circumgestatur. Hæc por-
tenta ut orthodoxis patribus incognita fuerunt, ita in mentem
illis non venit, quòd Melchisedecus sacrificium Missæ repræsen-
tarit.

LXV.

*Melchise-
dec nõ ce-
lebravit
Missam.*

Adhæc textus hebræus habet verbum מציין quod proferre,
promere & producere, non offerre & sacrificare significat.

LXVI.

Quemadmodum etiam Chaldaica paraphrasis usurpat verbum
Aphék, quod ejusdem potestatis est.

LXVII.

Græca versio evidentius papistarum nugis adversatur ἐξή-
νευκεν αὐτὸς ἀφ' οὐρα καὶ οἶνον, E domo extulit ipsi Abrahamo, non
Deo, & protulit deniq; panes multos, non portiunculam panis
crystallo inclusam, ut missifices.

LXVIII.

Ac cum his etiam facit latina versio: Melchisedec rex Salem
proferens panem, non offerens panem.

LXIX.

Præterea nulla planè ratio est, quæ vel probabiliter saltem
concludat, Melchisedecum hîc sacrificasse. Etsi enim sequitur, il-
lum fuisse sacerdotem Dei altissimi: Non tamen istud præceden-
tium est ratio, ut perperam reddidit per causalem conjunctionem
vulgata latina versio, sed potius sequentis benedictionis αἰτιολο-
γία. Vnde græca versio rectè per adversativam expressit: ἢν δὲ ἱε-
ρεὺς &c. Erat autem sacerdos. In hebræo textu est Vau adversati-
vum & disjunctivum.

LXX.

Ac cum deniq; epistola Ebræorum c. 7. prolixè diligenterq;
omnia persequatur, in quibus Melchisedek Christi typum gessit,
neq; tamen vel unica saltem syllaba sacrificij missæ mentionē in-
duxerit, quis non videt merum hoc esse pontificiorum commen-
tum

tum



tum. Nam si quicquam est, in quo sacerdotium Melchisedeci cum Sacerdotio Christi evidentissimè conferri potuisset, incruentum istud sacrificium Missæ, ipsi sacrificulis testibus, profectò est. Nū igitur de eo tam altum esset silentium illic loci, ubi ex professo de comparatione sacrificij Christi & Melchisedeci differendum erat?

LXXI.

Imò verò, quod magis etiam mirū, epistola ad hebræos Christo tribuit sacrificium nequaquam incruentum & exangue, quale illorum opinione erat Melchisedeci, sed suomet sanguine cruentatum.

LXXII.

Inq; eo deniq; Hebræorum doctor statuit discrimè inter Christi & aliorum sacerdotium, quod ille semel seipsum, alij sæpius victimas offerunt. Atq; hoc iterum toties iteratas pontificiorum missas funditus evertit.

LXXIII.

Questio V. de benedictione Melchisedeci.

Satis hoc de regia liberalitate Melchisedeci: alterum ejus officium fuit sacerdotale. Quod singulare in eo est, cū alioquin non licuerit iisdem esse & regibus, & sacerdotibus, ut in Vzia patet 2. Reg. 15. 5. Verum hic erat Christi typus Ps. 110. qui & Rex & Sacerdos.

LXXIV.

Ejus ergo officij gratia benedixit Abrahamo, idq; non populari consuetudine, sed sacerdotali autoritate Num: 6. Alioquin enim Pauli Ebr: 7 regula non constaret, quòd minor a præstantiore benedictionem perciperet, quandoquidem populari modo Simeon Christum, Elizabetha Mariam *εὐλογίας* prosequitur, neq; tamen idcirco illi his præstantiores sunt.

LXXV.

Et nisi Sacerdos Altissimi ab ipso Deo cōstitutus esset, officij ratione totum hoc perageret, non auderet τὸν ἔχοντα τὰς ἐπαγγελίας benedicere Ebr: 7.

LXXVI.

Duo sunt membra *εὐλογίας*, votum pro Abrahamo & *δοξολογία* Dei, qua simul sacerdos Altissimi ingenuam suam confessionem solenniter in hac regia panegyri & Thaborina concione edit.

LXXVII.

Abrahamo precatur benedictionem Dei, quæ bona spiritualia imprimis, deinde verò etiam corporalia complectitur 1. Tim. 6. Quod autem ait: Benedixit Deo excelso, ea oratione indicat, Abrahami in familia residere benedictione omnium gentiū Gen: 12. Gal. 3. eamq; sigillo victoriæ obsignatam esse. Deum.

Benedictio
Melchise-
deci

LXXVIII.

Deum tribus encomijs ornat, Primùm prædicat altissimum, ut indicet, nullam hostium, licet terribilem, potentiam tantam esse, quæ non divina omnipotentia longè sit interior Ps: 2. nullum item præter hunc esse Deum. Deinde tribuit Deo dominium cæli & terræ, ut ostendat, Deum distribuere regna mundi, facultates, & divitias Dan. 2. Deniq; victoriam de hostibus non fortunæ, nec Abrahamo, sed omnipotenti Dei dextræ adscribit.

LXXIX.

Vnde intelligimus cur Moses tam exquisitè barbarorum exercitum, potentiam, victorias descripserit, & Sodomitarum quoq; copias recensuerit, ut nimirum excellentem Dei potentiam disceremus, teste Chrysoft. hom. 35.

LXXX.

Hostes autem nominat Abrahami non modò ob Lothi necessitudinem, sed etiam ob suæ cum Abrahamo confessionis concordiam.

LXXXI.

Quo pacto insuper Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedeci Psalm 110. & in quibus typus cum antitypo conveniat, epistola Ebreorum prolixè exposuit.

*Questio V I. de decimis ab Abrahamo
oblatis Melchisedeco.*

LXXXII.

Quemadmodum etiam illud, quod Abraham Melchisedeco decimas de manubijs hostium persolvit, ad gratitudinem suam declarandam, ibidem explicatum est.

LXXXIII.

Abraham enim juxta Chrysostomum doctor sit omnibus, ut primitias eorum, quæ sibi à Deo concessa, offerant.

LXXXIV.

Sed juxta Paulum decimat Leviticos sacerdotes in lumbis suis contentos, ut tanquam Propheta ostendat, multò præstantius isto sacerdotio introductum iri per Christum Ebr. 7.

LXXXV.

Nugæ sunt Rabinorum, quòd Melchisedecus Abrahamæ, non
Abraham

Abraham illi decimas penderit, quas Apostolus Ebr. 7. fortissimè
dissicit. Et cum Melchisedecum pro capite Ecclesiæ ac Sacerdote
altissimi Abraham agnoscat, quo jure decimas ab illo acciperet?
Neq; enim inferiora præstantiore, sed hic ab illo τῆς εὐλογίας
præmium exigit.

LXXXVI.

De manubijs, inquam, hostium, de spolijs item quæ illi alibi
acquisiverant, deq; comæatu, quem domo secum adduxerant,
decimas obtulit, non de Sodomitarum bonis ab iisdem recupe-
ratis. De hisce etenim ne filium quidem Abraham sibi vendica-
vit. Quamvis alijs videatur, quod Abrahamus de opibus jure bel-
li acquisitis, priusquam eas Sodomitarum tyranno donaret, præ-
mium Melchisedeco dederit.

LXXXVII.

Omittimus, quòd quidam arbitrantur Abramum quotannis
de suis facultatibus decimas persolvisse.

Questio VII. de αὐταρκείᾳ ἔσ' ἀξιοσύνη
Abrahamæ erga regem Sodomæ.

LXXXVIII.

Hactenus de ijs, quæ cum Abrahamo Melchisedecus egit,
superest, quid cum eodem rex Sodomorum negotij habuerit.
Voluit ille, ut animas, id est, homines & jumenta, vel potius,
ut græcus ait, τῶν ἀνδρῶν, homines sibi redderet, reliquam præ-
dam præmij loco haberet. Perperam græcus interpres vocem
Harkusch, quæ facultates & opes, hac forma in hoc capite ali-
quoties repetita, denotat, per equitatum reddidit.

LXXXIX.

Sed Patriarcha interposito juramento (ne simulare quidpiam
videretur) adhibitisq; jurandi ceremonijs, manu sublata, per Do-
minum Deum excellum, qui possidet cælum & terram, recusat,
se vel minimum è spolijs accepturum. Quo exemplo docemur ju-
ramenta veritatis confirmandæ ergò instituta, non esse damnan-
da, sed pro parte divini cultus habenda Rom. 1. & 9. 2. Cor 1. & 12.

C

90. Quin

XC.

Quin etiam avariciam sua ἀυταρκεῖα monet fugiendam esse, cum illorum se fructione abdicaverit, quorum jus acquisitum bello Deiq; munificentia habebat.

XC I.

Et juxta Chrysostrum illud implevit, quod Christus Apostolis inculcat, gratis accepistis, gratis date, Matth. 10. quasi diceret: Ego aliud nihil ad hoc bellum attuli, quam voluntatem & promptitudinem, victoriam autem & triumphum ac cætera operatus est Deus ineffabili virtute.

XC II.

Laudem etiam ipsius erga Sodomæum παρρησία meretur, quod ab impio rege beneficio non vult affici, non divitijs locupletari, sed à Deo.

XC III.

Interim quod stipendia militibus postulat, ex eo sequitur, operarios sua mercede dignos esse, & neminem pium de alieno liberalem esse debere, sed de proprio.

XC IV.

Hæc deniq;, omnia eò referenda sunt, ut tradit Chrysostrum, ut scias, quod non corporali robore hostes devicerit Patriarcha, sed sua in Deum fide & superno præsidio adjutus omnia illa gesserit: Erat enim manus superna, quæ adjuvabat, & commilitabat.

XC V.

Atq; ita impleta est promissio cap. 11. Ero inimicus inimicis tuis, & benedicam benedicientibus tibi.

Vsus totius historiae varius.

XC V.

Quæ propter historiae σωμειάσθαι inseri commodè non poterunt, operæ precium est, ut seorsim tradantur.

XC VI.

Ac principio cum Deus scelera Sodomitarum, de quibus Spiritus sanctus cap. 13, conquestus est, tam graviter puniat, inq; gigantes

gantes etiam & tyrannos terræ Palestinæ tam severè animadver-
tat, ex eo colligimus Deum peccati authorem minimè, sed acerri-
mum osorem & vindicem esse. Pf. 5.

XCVII.

Quemadmodum autem Deus hic utitur Cedarloghomorū
& sociorum, qui erant impij & idololatræ, opera ad castigan-
dum & exercendum Lothum ejusq; ecclesiam; Ita hodie mirum
non est, Deum suum populum flagello Turcico & papistico cede-
re; Ies. 10. 24. 25. 26.

XCVIII.

Ac ut illi quinque reguli orientales non idcirco sunt Dei
populus, quod victoria potiuntur, ita nec Mahumetistis nec Pa-
pistis colligere licet, penes se ideo veram esse ecclesiam, quia po-
tentia, autoritate, multitudine evangelicis sint superiores. 1.
Cor. 1. 26. 27. 28. Pf. 147. 10.

XCIX.

Filios Dei ilico castigari, ne cum mundo pereant, 1. Cor.
11. 12. Lothus sua clade docet: impiorum autem supplicium justo
Dei iudicio ad tempus differri, ut emendandi spatium habeant,
quinq; reguli exemplo sunt: Pf. 37. & 73. Ier. 12. 1. Pet. 4. 17. Ier.
49. 12. Ezech. 9. 5.

C.

Quod Deus non velit absoluto decreto reprobationis quen-
quam in suis peccatis perire, ex eo constat, quòd Rex Sodomæus
conservatur, & concionem audit Melchisedeci, Abraq; cernit
victoriam, quæ illi calcar ad pœnitentiam esse debebant Ezech.
18. 2. Pet. 3.

CI.

Fidem non esse absq; charitate, justos autem facere absque
charitate, in Abrahamo animadvertimus, qui justus Deoq; acce-
ptus est, cum ex Vr Chaldæorū egrederetur, jam verò fidem suam
hoc insigni charitatis erga Lothi familiam opere comprobat Ioh.
13. Iac. 5.

CII.

Non tantum fidei confortes, sed etiam à Vera religione ali-
enos,

enos, imò ecclesiæ hostes diligendos esse Abraham Sodomæis succurrens testatum facit Match : 5. 43. 44. &c.

CIII.

Bonam intentionem absq; peculiari Dei mandato ac promissione non efficere opera cuiuspiam Deo grata, sed requiri fidem, & verbum, cui fides tutò innitatur, ab Abrahamo discimus, qui prælio se committere nequaquam auderet, nisi promissionem tanquam clypeum haberet, qua Deus dixerat : Maledicam maledicentibus tibi Gen : 12. 3.

CIV.

Vera Christiana fortitudo legitimum medium servat inter metum & audaciam, Idcirco Abraham non absq; exercitu, neq; citra prudentiæ & circumspeditionis bellicæ adminiculum hostes aggreditur, Ille enim verè fortis est, juxta Augustinum in psal. 32. conc. 2. qui non in seipso fortis est, sed in Domino Phil. 4. 13. 2. Cor. 12. 10.

CV.

Deum esse authorem & conservatorem conjugij, inimicum vero vagarum libidinum, quæ nullibi majore licentia, quàm in castris grassantur, ex eo colligitur, quod Sodomiticæ mulieres hostibus creptæ suis restituntur, 1. Cor. 7.

CVI.

Quod Abram nepotem suum ex fratre non jubet à Sodomitis aliò commigrare, indicio est, non prohibitam esse pijs civilem & externam cum idololatriis & hominibus alienæ religionis conversationem, modò confessio custodiatur illibata, doctrinaq; & vitæ integritas ita instituat, ut illos lucrifacere queat Matth. 9. & 10. 16. Luc : 15.

CVII.

Quod Deus quovis tempore aliquam habuerit ecclesiam subditi Melchisedeci docent. Non enim vel cum nomine eius, vel cum encomijs, quibus à Spiritu sancto ornatur, vel etiam cum officio Orthodoxi magistratus consentaneum est, illum sua in ditione cives fovisse idololatrias : Psal. 2 & 24. & 101. 8.

CVIII.

Et si respectu Sodomitarum rebellium & seditiosorum Orientales

entales reguli causam belli justam habent, inexplibili tamen dominandi libidine, avaritia, rapinis, scortatione, sævitia, alijsq; flagitijs merentur divinam vindictam, Alioquin nullo jure Abraham illis eriperet, quæ jure belli acquisiverant. Es. 33. 1.

CIX.

Abraham interfectis hostibus, non idcirco fit irregularis & docendi ab officio deponitur, ut Pontificij eiusmodi sacerdotem abdicarent. Sed nihilominus manet ecclesiæ doctor, ut & Pinehas, & Moses cum Levitis Exod. 32. 38. & Samuel 1. Sam. 15. 32. qui & ipsi impios jugularunt.

CX.

Condemnat autem sceleratam Paparum hypocrisin, qui eos contendunt sacerdotali ordine indignos, qui in justo prælio hostem interemerint, cum illi tot martyrum sanguine sua vel sica vel cera, chartave & consilio jugulatorum imbuti sint Apoc. 17. 6.

CXI.

Neq; tamen Abrahami exemplo ministris verbi licitum est, arma capessere, nisi in necessitatis casu, 2. Tim. 2. 3. 2. Cor. 10. 4. Matth. 26. 52. quamvis docendi precandiq; gratia in castris operam suam militibus bona conscientia possint & debeant præstare Deut. 20. 2. Num. 10. 9.

CXII.

Singulare est in Melchisedeco, quod utriusq; gladij facultatem divinitus sibi tributam habet, quod Pontificibus tantisper non licebit imitari, donec vocationem suam è verbo Dei ita asseruerint, ut Melchisedeci assera est Gen. 14. ps. 110. Ebr: 7.

CXIII.

Nam & Melchisedecus licet Spiritus sancti testimonio præstantior sit Abrahamo, jus tamen illi non dicit, neq; Papalem primatum sibi vendicat, neq; regi Sodomæo imperat.

CXIV.

Cùm autem Abraham, decimis oblatis, non tribuat Melchisedeco Papalem eminentiam, multò minus Romanus Papa, ex eo, quod decimas à principibus & regibus accipit (accipit autem nullo jure, sed artibus Simoniacis,) evincet, omnes reges

& principes terræ suos esse vasallos, qui seudum à sede Romana accipiant.

CXV.
Porro cum Sacerdos iste Dei altissimi regias habeat facultates, quales quidem regum ejus temporis fuerunt, & nihilominus decimas capiat, inde patet, opes honestè acquisite ministerio verbi non impedimento & dedecori esse, neq; etiam illos, qui suis se patrimonijs sustentare possunt, injustè stipendia accipere, Matth. 10. 10. 1. Tim. 5. 18. 1. Cor. 9. 13. 2. Cor. 10. 6.

CXVI.
Quod deniq; milites isti in sui Ducis sententia acquiescunt, ex eo Ambrosius militarem regulam extruit in libro de Patriarcha Abrahamo, quæ in decretis quæst. 23. citatur; Milites nimirum rapere prædam non sibi, sed Imperatori, quæ distribuenda sit inter milites pro Imperatoris arbitrio. Imperator autem ipse debet retinere sibi partem, quam appellant principalem. Sed eam hic Abraham Sodomitano principi ulterò cedit & donat; Sua enim erat, cum, quæ ab hostibus capiuntur, jure gentium, statim fiant capientium.

FINIS.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS



AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237



sb.

Wort







ATIO BIBLICA XII.
APITE XIV.
 OS, AD PRIVATAM
 ρήτην proposita.

à
ONE GESNERO S.S
 DOCTORE ET IN ACADEMIA
 g: Professore, die 5. Iulij
 Anno Christi 1598.

Respondente
DERICO BALDVINO
 Dresdensi,



VITEBERGÆ,
M. Georgij Mulleri,
 Anno clo lo xcviij.

14